



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 1. Non inest operationi bonitas, cui deest meriti radix caritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

hanc revelavit, credimus: tum Spes in Fidelitate Dei
confidens: tum caritas, quâ Deus diligitur, & vicissim dili-
gere meritò creditur, atque ad eò omnia ad salutem necessa-
ria media suppeditare. Quæ omnia breviter complexus S.
Bernardus S. 3. de 7. panib. tria, inquit, considero, in quibus tota
vita consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis,
certitudinem redditionis.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Absolutum hoc iudicium; *Certa &*
infallibilis fide credo, me vitam æternam consecuturum: non
iudicium Fidei aut Spei Theologicæ, sed falsam Hæretico-
rum persuasionem, in qua inanis præsumptio fundatur, ut re-
fertur Laym. l. c. quia nemo sine revelatione certus est, se
gratia Dei, legis mandata observare, & nullo etiam
sacro peccato mortali teneri juxta Eccl. 9. Hinc certitudo
sive infallibilis expectatio, beatitudinis non potest esse
solida.

Deducitur 2. Desperationem meritò inter gravissima
peccata numerari, quia Deum credit, aut non esse omnipo-
tentem, ut possit: nec infinitè sapientem, ut sciat; aut certè
summè bonum & fidelem, ut velit promissis stare, & ju-
stus.

Deducitur 3. Etsi Deus non semper largiatur id, quod
petatur, non tamen propterea dici posse, quòd spes confundat,
sicut SS. Patres sapienter advertunt, sæpe Deus non exau-
dit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Et, teste S.
Bernardo, post orationem debito modo peractam unum in-
stantanter sperare possimus, aut id scilicet, quòd petimus;
sed non, quòd melius est.

§. III.

DE CARITATIS PRINCIPIIS.

PRINCIPIUM I.

Non inest operationi Bonitas, cui deest meriti
radix Caritas.

Sensus.

Hoc est, nisi actus aliquis de se non positivè malus pro-
cedat

cedat à Caritatis divinæ habitu, vel nudè in subiecto existente, ut sufficere putat Vasquez à Laymanno cit. l. 2. tr. 3. c. 1. vel saltem actum talem elicente aut imperante, ut S. Thomas alii communius cum eodem Laym. arbitrantur, non erit meritorius gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura 1. Cor. 13, ubi dicit apostolus; Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Item ex S. Thoma. 1. 2. q. 114. a. 4. & 2. 2. q. 23. a. 8. & comuni Theologorum doctrina docente, caritatem esse formam reliquorum virtutum.

Ratio.

Quia, ut S. Thomas argumentatur, Sapientissimus Deus ita ordinavit, ut finem vitæ æternæ, quæ in comprehensione ac fruitione summi boni consistit, homo viator non mereatur, nisi per actum liberæ voluntatis proportionatum, videlicet quo feratur in ultimum finem, summumque bonum per modum unionis & amicitiae; atqui iste motus proprius est caritatis, ergò. Non desunt tamen, qui cum Valentia, Medina, & aliis doceant, sufficere, si per primum & unicuique actum caritatis, homo in Deum tanquam ultimum supernaturalem finem, & summum bonum suum referat, ad viam mercedis tribuendam.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Nullum actum ex natura sua malum meritorium esse posse, uti unanimiter docent Theologi, cum talis actus ordinari non possit ad ultimum finem, sed potius abducatur ab illo.

Deducitur 2. Neque actum de se bonum, si in gratiam non fiat, meritorium esse vitæ æternæ; cum is, qui non diligit, maneat in morte, uti S. Joannes 1. c. 3. testatur, atque adeo opera quoque ipsius mortua esse necesse sit.

Deducitur 3. Opera de se bona, etiam si peccati venialis malitiam adjunctam habeant, adhuc à caritate imperari, atque adeo meritoria esse posse, eò quòd peccata venialia licet minuant aliquo modo caritatem, non tamen omnino tollant.